




ERYTHRAEVM sive RVBRVM Mare, sic dictum non a colore; sed ab Erythro rege. Extatq; haud procul a continenti insula quaedam, palmetis frequentibus constita, & in medio fere nemus; in qua eminens columna regis Erythraei monumentum, litteris gentis eius inscriptum. testis Q. Curtius. Oaracta vocatur haec insula, apud Arrianum. Hoc mare margaritifera esse scribunt Plinius, Aelianus Philostratus, aliq;.

INGENIO, IVDICIO, ET ERVDI-
TIONE PRAESTANTI, DOMINO
HENRICO SCHOTIO, VRBI
ANTVERP. A CONSILIIS AMO-
RIS ET BENEVOLENTIAE ER-
GO, HANC TABVLAM DEDICAB.
ABRAH. ORTELIVS.

APUD Q. Curtium lib. 4. sic de Alexandro, Cupido haud inuisa quidem, ceterum intempestiva in celis, non interiora modo Aegypti, sed etiam Aethiopiā inuisere. Memnonis Thronique celebrata regia cognoscenda veritatis audum trahebat penē extra terminos Solis. sic Curtius. Hanc Memnonis regiam, in Abido Aegypti vrbe, describunt Strabo, Solinus, & lib. 5. Plinius. Hic idem verō lib. 36. eandem in Thebis. ut quoque Paulānias, & Dionysius Afer, (Thebas autem, hic pro Thebaide regione, siue Thebarum agro interpretor: vtraque enim, & Abidos & Thebae sunt in Thebaide regione.) In hac regia statuā fuisse Memnonis, ait Plinius. colossū facit Strabo, faxeam effigie, Tacitus. Erat enim ex lapide eoque solido, teste Strabone. coloris nigri, Philostrato. rubri, nescio qua fide, Tzetze. Sedentis hominis formam habuisse, scribunt dictus Paulānias & Philostratus. Adolecentis impuberis imaginem retulisse, idem Philostratus. Huius partes superiores a sede sua diuulsas, se vidisse, refert Strabo: quod & Paulānias conestatur. tectis & ipse oculatus reliquam, partem adhuc sedere, videri. Philostratus ait inniti manibus, hominūque surgere volentis formam referre. Hanc statuam omnes dicti scriptores aut quotidie Sole exoriente (& ut inquit Philostratus dū Sol radiis eius statuam tangit) sonum edere, eumque vocat, Tacitus. eque ore, Philostratus. esseque qualem vel cithara aut lyra edere solēt, eidem, & Paulānias. Crepare, dicit Plinius. Lucianum (quod huic familiare) nugari, palam est, dum scribit se eam auduisse & non vulgari modo sonum quendam inanem ex eo accepisse, sed oraculum: idque septem versum. Nugatorem quoque quemadmodum in multis, sic quoque in his habeo Tzetzem Chiliade 6. numero 64. vbi tradit eam de die larum cantum, noctu autem flebile carmen canere, & Callisto hoc fortē, qui scribit, Sole huic proximante hilarem, abeunte verō mœstum edere sonum. De hac autem vociferatione audimus potius Strabonem, virū grauidissimum, & huius miraculi diligentissimum contemplatorem. is enim per suum interpretem Xylandrum, ita: Ipse, cum Aelio Gallo adesset, & cum reliqua multitudine amicorum, ac militum qui cum eo erant, circiter horam primam sonitum audiui, vtrū a basi siue a colosso, an verō ab eum circumstantium aliquo editus fuerit, non habeo affirmare: cum propter incertitudinē causā, quidvis potius credere fubeat, quam ex lapidibus sic compositis sonitum edi. Per machinam quadam hōc fieri solere, annotat ad Dionysium Afrum, Eustathius: fluxa & hoc fide, ni fallor. Paulānias dicit Thebanos negare Memnonis Aethiopiā esse hanc statuam, sed Phanemophis indigenā hominis. se auduisse etiam, qui dicebat Sefostri esse. Sunt qui putant Memnonem, Iūanem dici ab Aegyptiis, ut ait Strabo. Caruissē inscriptione, scriptum reliquit Oratio 31. Dion Prufest. Memnonis autem fuisse verisimile est ex eo, quod Heliodorus inter Aethiopum deos Memnonem etiam numeret. Huius etiā mentio fit hoc versu a Iuvenale, *Dimidium magica resonant vbi Memnone chorda*. Dimidium dicit, ut existimo, quia eius pars superior (ut supra auditum) a corpore reuulsa, quod Cambyſi tribuit Paulānias: terrae motui, Strabo. Ad dictum Iuvenalis verum, & quodam Glossario veteri, partim corrupta, partim falsa quamvis, hanc adiiciam, Memnonis ex are statuā citharam tenens, certis horis canebat. Hanc Caubis rex iussit aperiri, existimans mechanicum aliquid esse, quod intra statuam lateret. nihilominus tamen aperta statuā, quae erat magicē consecrata, horis statutis sonum reddidit. Inepit, ut & ea, quae Ianus Douſa F. ex alio veteri in hunc eundem interprete, ad Catullum edidit. nempe hanc statuam Solem, & regem, voce humana salutare solitam: cum autem Cambyſes ab ea partem abscidisset, Solem tantum, non regem, amplius salutasse. Eusebii Chronicon dicit (ex vulgi opinione) loquutum fuisse vsque ad aduentum Christi. Atque haec de hac Memnonis statuā, cuius cognoscenda audum fuisse Alexandrum, inquit Curtius, ad cuius miraculum animum inuēisse Germanicum Cæsarem, Tacitus. & diligenter inspexisse Sep. Severum Imp. Spartianus.

Ex hac Ammonis apud Curtium descriptione videor duplicem eius formam intelligere. vnam nempe, quae pro eius imagine habebatur, alteram, quae pro ipso Ammonis numine. istam sub forma arietina, hanc sub vmbilico. Vmbilicum hic interpretor rem aliquam eminentem (ut vmbilicus in concharū genere, aut in corpore humano) metā instar, veluti conum aut quadratum aut rotundum: quemadmodum voluminibus iam fere absolutis (teste Porphyrio) ornamento & vsui apponi solent, atque etiamnum hodie extrinsecus globi dimidiati forma apponunt. Præter enim gentilitatis homines, hac informi forma non rarō deos suos indicasse potius quam effigisse, documenta sunt multa. In templo Delphi, ut refert Strabo 6. vmbilicus conferuatur fascis velatus, ad demonstrandum quod hic locus in vmbilico, hoc est, medio terrarum esset. Eratque ut Paulānias refert, ex candido marmore. Veneris dea enim signum, apud Cypri Paphum, auctore Tacito, continuis erat orbis, latiore initio, tenuem in ambitum, metā modo exurgens, de eadem fere idem Maximus Tyrius Oratio 38. nisi quod alba Pyramidi similem fuisse dicit. Idem ibidem scribit Arades Deum suum tetragono lapide significare. & ut Suidas habet, nulla figura incisa, qui hoc de Arabibus Petreis dicit, quod hunc Deum, Martem ait. Informem lapidem facit eundem Minucius Felix. Pessinuntios quoque in Phrygia, lapidem nigellum dicit Prudentius. De solis fide Elagabali figura, Herodianus fere idem quod Curtius de Ammonis: sunt enim haec eius verba, lib. 4. Politiano interprete, Simulacrum nullum Graeco aut Romano more manufactum ad eius Dei similitudinem. Sed lapis est maximus, ab imo rotundus, & casum fastigiatus propemodum ad coni formam. Sicyonij, inquit Paulānias, habent Iouem Milichium in pyramidi figuram. Semnos Philoſophos Indos pyramidem coluisse, docet Clem. Alex. 3. Stromatum. huc referendum fortē illud profani sacramenti signum *ἡνὶς ἱερωτάτης*, apud Firmicum. Sed & Romanos hac descripta forma diuinitatem voluisse exprime, indicio est suggestus ille, a dicto Herodiano descriptus, instar turris aut phari quo suos Imperatores consecrare, interque numina referre solent. Hic namque etiam ab imo exurgens, contractus semper, donec ad superiorem atque extremum, quod est omnium angustissimum, perueniat, contritus solet. Ignis quoque hac forma, qui Vestam deam significat, lisci, vmbilicis non dissimiles, atque Soli consecrati, metāque in ciccis, Dioſcuris siue Tyndaridis dedicat. Ignis quoque hac forma, qui Vestam deam significat, huiusque templum rotundum. Omnia ad vmbilici siue coni formam quam proximē accedentia. Ex his dictis mihi visum veterem potius retinere Curtij lectionem, *vmbilico similis*, quam nuperam ad viro quodam docto editam, quae legit *vmbilico tenus arietis similis*. Sed lucidiora haec omnia. Lectio sunt ex delineatione hunc quorundam veterum nostrorum numismatum, quae infra adiungi ex nostro museo curauimus. Minus praeterea formae (quamvis hoc praeter institutū, obiter addam tamen) tribuere solebant quaedam gentes etiam diis suis. Aethiopes enim scribit acinacem Scythias Dei signum fuisse, Thelphi ramum Progenes. Romanos pro Quirino (siue Romulo) coluisse hastam. Puteum (aut vt alia lectio, pluteum) Samios pro Iunone, & lignum indolatum pro Diana, Carios. Paulānias testis est Sicyonios Dianam Pætoam, sub columnae figura sine vlla arte. Altissimam quercum Celtis esse Iouis signum, refert Maximus Tyrius. idem Pætoam discum breuem longo ligno impositum, Solis. Tertulliano referente, Pallas Attica, & Ceres Farſea spire sine effigie, siue rudi palo & infirmi ligno proſtabat. Faria siue Pharia manu legere Lipsius, cui quod libens assentior, facit quod nummus quem Ant. Augustinus in Dialogis exhibet cum huius Deae effigie, & inscriptione *ISIS PHARIA*, cumque testibus Herodoto & Plutarcho hac eadem sit cum Ifide (quae in Aegypto) & Isis eadem cum Dea Pessinuntia, quae Cybele. vt sit Pharia (vt ipsi videtur) pro Aegypto. Phariae Isis idem meminit quoque Minutius Felix. Paulānias in Achaicis scribit Graecis omnibus olim patrium fuisse, rudes lapides pro diis colere. Perſas quoque nec statuas, necque templa, neque aras exſtruxere conſueuere, testis est Herodoti Clio. Nulla autem effigie aut forma Deos exprimere quibuldam moris fuisse, legimus. De Carmelo enim Deo, scribit Tacitus, huic nec simulacrum nec templum a Syris, aram tantum & reuerentiam tribui. Idem, Germanorum deos nulla habere simulacra: neque eos in vllam humani oris speciem assimilare: eosque sola reuerentia vident. Perſas diis nec statuas nec aras erigere, ait Strabo. Sil. Italicus de fano Herculis apud Gades, hoc *Sed nulla effigies simulacrae nota Deorum, Manſtate locum & sacro implere timore*. Romanos etiam ipsos referente Varrone, plus quam centum & septuaginta annos deos sine simulacris coluisse. Plinio certe auctore, horum effigiem formamque quærere, imbecillitatis humanae est. At quia Deo nihil perfectius, verisimile cum gentiles sub ea coluisse forma, qua operibus omnibus cum ad perfectionem peruenirent, ornamenti loco ornari soleant. Nauigio quare hunc Deum Ammonem gestauerint, ex Tacito fortē intelligendum: qui tradit Sueuos Indis signum in modum liburnae formae solitos: idque docere adnectat religionem. Ammonem in veliculo Delphis dedicasse Cyrenaeos, scriptum reliquit Paulānias. Sic bona posteritas (Romana) puppim formauit in are, *Hoplitis aduentum testificata Dei*. Iani nempe, ut habet Ouidius. Ad eo quod hi puppi, illi nauigio, vehiculove significauere. Sed & apud Germanos quoque in insula Oceani Caſtum nemus fuit, teste Tacito, in quo vehiculum dicatur, veste cōtectum, & pro numine habitum. At de his nimis multa a me.

Quemadmodum duplicem huius Ammonis formam ex historia descriptis, sic duo etiam templa habuisse, ex eadem verisimile est. Diodorus enim lib. 17. in descriptione huius templi, dicit a Danao Aegypto positum. Idem autem lib. 1. dicit Ammonem Oliridem quoque apud Thebas Aegypti crexisse templum: idque aureū, aliudq. hoc a nostro, ex hoc Lucani 9. *Non illis Libyae posuerunt dista gentes Temples, nec Eois splendent donaria gemmis*. In Aegypto, nō in Libya illud fuisse, ex Herodoti 2. clarū, vbi hac huius descriptione, Iupiter quum ab Hercule cernere eum volente, cerni noller, tandē exoratus, hoc commentus est, ut amputato arietis capite, pelleque villosa quam illi detraxerat, induta sibi, ita sese Hercule ostendit. Ob id Aegyptij instituere Iouis simulacrum facere arietina facie. Huic certo die quotannis vnum arietem obtineant, cuius pellem detractam, hunc in modum Iouis huius simulacrum induunt, &c. Et quia hoc Ammonis templum apud has Thebas, quae & Dioſpolis a clauſis vocatur scriptoribus, putauerim eius etiam existere in Sacris Bibliis memoriam, ut apud Ezechielem 30. vbi Hebraicum, Dioſpolim interpretantur LXX. Interpretes, & apud Nahum 3. qui No Amon habet, pro quo idem A *ἄμων* legunt. Verisimile itaque Ammon (quod multitudinem significat) ex Hebraeo transierunt) huius loci proprium sit nomen.



Ex auro.

Ex aene.

Ex auro.

ALEXANDRI MAGNI MACEDONIS EXPEDITIO.



1 ARCHELAUS chorographus, quem omnem terram ab Alexandro peruagatam, descripsisse, tradit Laërtius: aut Beton (Baton Athenæo) vel Diogenetis, quos Plinius iterum Alexandri mentores fuisse scribit: vel Strabonis commentarium quem de rebus Alexandri fecisse ait, ad nostra vsque tēpora manuque peruenissent, minus procul dubio difficile nobis fuisse hanc tabulam, quam Alexandri expeditionis studiosis lectoribus exhibere conati sumus, delineare. Ab iis autem delicti, primum, eius aream ex Ptolemaeo, recentiorumque traditionibus contraximus. deinde singula eius loca in ea accomodauimus ex auctoribus Curtio, Arriano, & Plutarcho. hi enim tres, inter eos qui huius vitam litterarum monumentis fideliter tradidere, superstitēque permanferunt, eiusque expeditionem ex professo litteris complexi sunt. Adiuumento huc appellauimus Strabonem, Diodorum, Trogum, Oroſium, & Plutarchum de eiusdem (vbi inscriptio est) Fortuna. hi enim, quamvis non data opera, obiter tamen in huius rebus gestis describendis, satis veros & diligentes se praestiterunt. Philostratus, Solinus, Plinius, opem attulere etiam nonnullam. Atque dum omnem vtriusque linguae historiam perlustramus, ex omnibus fere aliis, praeterquam iam enumeratis nihil aut parum auxilij ad nostrum hoc institutum haurire potuimus. Nam etſi quaedam apud Liliū, Val. Maximum, Polybium, Athenæum, Polyænum, Elianum, Senecam, Stobæum, Quintilianum, Apuleium, Dionem Prusæum, Maximum Tyrium, Theonem sophistam, Plutarchum de Montibus, Panegyricum Max. & Conſt. dictum, videre sunt, ea potius ad huius vitam familiarem, innatosque more, virtutes, vitiaque, quam expeditionem conuenire, experti sumus. Huius vitam ab Aſopo quodam descriptam, atque a Iulio Valerio interpretatam, iater se habere Franciscus Iuretus in Notis ad Symmachum, hunc nos non vidimus, nec de eo iudicamus. Praestitimus itaque (in describendo Macedonum summo in Orbe terrarum, ut Lilius 45. hoc nominat, imperio ab nostro hoc Alexandro inchoato, quod potuimus, non quod volumus. Corollarij & ornamenti gratia adpingi curauimus Oraculi Iouis Ammonis, fidei inclita, (ut habet Pōponius) formam. idque cum ob loci in omni prisca historia frequentiam celebratamque: tum quod noster hic Alexander illud in sua hac expeditione, sciscitandi sui euentus nomine, quoque adiuerit, atque rebus Curtio & Trogō, ibidem corpus suum sepeliri (etſi frustra, nam Alexandria in Aegypto inhumatum eius corpus constat) iusserit. de quo hac,

AMMONIS ORACVLVM.

LOCVS in quo Ammonis templum est, omni ex parte habet vastas solitudines, densas ac siticulosas arenas, omnique humano cultu carentibus locis est circumdatus. Suntque campi instar profundi æquoris, alto obruti sabulo. ut eum describit Arrianus, Curtius, & Diodorus. Medium huius (lucus fatidicus a Silio Italico dictus) quod exiguo spatio circumſcribitur. (nam vbi latissimum est, ad quadraginta Arrianus, quinquaginta Diodoro, ad summum stadia extenditur) cultis arboribus est refertum, oleis nimirum & palmis, ut habet Arrianus: thui & paluro, vt Theophrastus. immo omnis generis, maxime fructus gerentibus, ut Diodorus. Palmas huius nobiles, celebrat etiam Plinius. Multis que amoenis & poti salubribus irrigatur aquis, incoliturque ab Ammonis populis dispersis tuguriis. In horum medio est arx cum munitione triplici, quarum prima (verbis Curtij vtar) tyrannorum veterem regiam clauſit: in proxima coniuges eorum, cum liberis & pellicibus habitant. Hic quoque Dei oraculum est. Vltima munimenta satellitum, armerumque sedes erant. Diodorus ante Dei dicti oraculum, fontē esse dicit, in quo, quae cunque Deo offerenda sunt, prius abiungunt. Arque hoc de huius situ naturali, architectonicoque. Nunc de Dei huius Libyci, vt eum vocat Dionysius Afer, forma: quem haud fulmina vibrantem, vt nostri solent, sed cornibus arietinis fingunt, pinguntque auctoribus Arnobio, Ouidio, Macrobio, aliisque: iisque tortis, vt Lucianus recurrit, ut Ouidius cecinit. Specie arietis, apud Lucianum. Aspectu arietino, apud Herodotum est. Cum cornibus arietinis, & vestimento lacino (siue laciniſio) a Martiano pingitur. Idem velle Athenæū videtur, voce Περικλῆς, vel Περικλῆς: quam chlamydem circumſitam circumſitam interpretatur Natalis; per ambitum diuisam, Dalechampius. At aliam huius etiam delineationem ex Curtio hic adiciemus, sic loquente, Id quod pro Deo colitur, non eandem effigiem habet, quam vulgō diis artificio accommodauerunt. Vmbilico similis est habitus (marago & gemmis coagmentatus. Hunc, cum responsum petitur, nauigio aurato gestant sacerdotes: multis argenteis pateris ab vtroque natigij latere pendentes. Sequuntur matronae virginesque, patrio more inconditi quoddam carmen canentes: quo propitiari Iouem credunt, vt eum edat oraculum. Idem Diodorus, qui sacerdotes hos octoginta numero facit. Quare arietinis cornibus pingatur, docent inter alios, Germanicus & Hyginus, in Ariete. vbi scribunt hoc templum a Libero patre in honorem arietis animalis, quod ei per hac deserta arenosaque loca, dum aqua penuria cum suo exercitu periclitaretur, dux fuerit ad hunc locum aquis irriguū. Aliam rationem quamvis tradat Herodotus. Templum hoc (in quo, vt habet de Oraculorum defectu Plutarchus, lucerna erat aeterna) scribit Herodotus constitutum a Thebana Aegypcia quadam muliere sacerdote. A Danao verō Aegypto, tradit positum, Diodorus. Apatore sic nominato, qui Ioui hic templum prius dedicauit, nuncupari, scribit Paulānias. Haec videtur tribuere Virg. 4. Aeneid. Alij fere omnes prisca auctores ab *ἄμων*, id est, arena; quasi dicas Iouem Arenarium. Vnus nihilominus Plutarchus in Oſyride, scribit proprie *ἄμων* (Thamos habet Plato in Phaedro) ab Aegypcijs vocari, significareque occultationem, siue occultum. testem adducit Manethonem Sebenniten: praeque Ammonem dici addit. Hoc tamen mirari ſubit, quum Inscriptionem Aegypcij obelisci Thebis, a rege Rameſſe ibidem erecti, non femel Ammonem video meminisse. Legendam hanc proponit Am. Marcellinus lib. 17. Hoc oraculum, quamvis a veteribus Ethnicis, etiam longissimē ab eo disſitis, summo in honore, pro certissimoque habitu fuerit, Strabo tamen suo tempore, hoc est Tyberij Imp. (illuſcente Christiana nepe religione) negligi admodum, annotauit. quod & idem Plutarchus, quem sub Traiano vixisse constat. idem Prudentius qui sub Theodosio, hoc verſu, *Nec responſa refert Libycis in ſyrtibus Ammon*. Sub Iuſtiniano Imp. verō hoc planē desertum fuisse, apud Procopium Aedificior. 6. subolers videor. An apud Clem. Alexand. ad Gentēs, & Eusebium de Præp. Euangelica sub nomine Gerandryi describatur, qui hoc in arenis statuunt, ex doctioribus diſcere velim. Circa vero hoc iam descriptum nemus, aliud est, versus Orientem, Curtio, lucus Solino: templum Diodoro, in quo aqua, siue vt alij, fons Solis, cuius, vt inquit Ouidius, *Vnda die gelida est, ortuq. obituq. caleſcit*. quam Mela sic describit: Hic, cum manu hominū attingitur, immodicus exſurgit, harenasque quasi maria agens, sic ſcruit, vt æquor fluctibus. Media nocte feruet, mox, & paulatim tepescit, fit luce frigidus: tunc vt ſol ſurgit, ita frigidior ſubinde per meridiem maxime riger. Sumit deinde tepores iterum, & prima nocte calidus, atque vt illa procedit, ita calidior. rursus cum est media, perferuet. Eadem de hoc fonte Curtius, Diodorus, Herodotus, Plinius, & Lucretius, apud quē etiam humum stringit, & fauillas etiam in cespitem ſolidat. siue vt Lucanus 9. *Qui patria terra Alligat, & domitas vnda conſecit arenas*. Alium quoque Ant. Liberalis, quem Sole descendente concreſcere tradit, stare autem, accedente Sole. Et Plinius in Trogodytica gente finitima, fontem narrat, circa meridiem dulcem & frigidum, feruere autem, & amaritudine inſeſtari circa mediam noctem. Nec plura ego de his, postquam addidero quae legi in quadam Syneſij ad Enoptium epistola, de his Ammonis fanī accolis, nempe femineum genus hic tam esse mammoſum, adeo vt inſantes non ſub alis, ſed trans humeros deiectas papillas ſugant, quod ne cui vltra fidem videatur, audiat Iuvenalem, vbi dicit, *In Merœ crasso matrem inſante mamillam*. Atque hac de Solis fonte & Ammone. Sed & Ammoniam Iunonem inter Libycas deas etiā numerat Paulānias in Eliacis, quae paſſis capillis cōlebatur. at hoc praeter institutum. Nunc quadam de Memnone: cuius viſendi eundem Alexandrum, teste Curtio, cupido inſeſerat.

En nummum Iouis Ammonis.

Iunonis Ammoniz.



Ex aene.